

CAPITUL. I.

Thef. I.

Quemadmodum vitæ unicum genus haud est humanæ,
 ita quoque non unius generis deprehendimus regi-
 men politicum. Enimverò requiescens hoc in personis
 secundum numerum, iis variatis & hoc variari ratio si-
 mul atq; Majestatis jubet habitudo. A Platone Philo-
 sophisque didicisse Cicero, *de divinit.* jactitat; nempe
 Respp. à Principibus teneri, tum à populis, aliquando à
 singulis. Sic administrandi potestas quoque aliter uni
 soli inest, aliter in aliquos diffunditur, aliterque respicit
 universos. Plures in syllabum species non introduci-
 mus, quicquid sibi sapientes Centoculi de sex aut pluri-
 bus Rerumpp. formis vociferentur etiamnum. Essentiã
 siquidem regiminis in se consideratã separamus omnem,
 vel vitii vel bonitatis indolem, tuti quod ex sanioribus
 eam vim ac efficaciam accidentium putaverit nemo, ut
 essentialem vel constitutionem vel distinctionem pro-
 moveant; abundant geniõ & ingeniõ suõ isti, fatigentur-
 que, nobis qui eam litem non facimus nostram perinde
 est, dicturis id potissimum, in præsens; utri inter dictas
 tres formas, si de lauru veniret decertandum, porrigenda
 herba sit. Agitata dudum veteranos inter quæstio eam
 à Sophis meruit *ἑπικρείσιν*, ut Monarchia triumphãrit.
 Monarchia, inquam, quæ poma inter natavit, insignita
 nomine Respublica fuit cujus ne ordinem turbemus, an-
 te omnia enodandum Etymon venit, quo ritè perspecto
 facile eluctabimus quoad cætera, nempe definitionem,
 divisionem, & quæ pagellarum *κειμήλιον* est, statam præ-
 eminentiam.

Thef. 2.

Natalia antem debet *Monarchia* idiomati Græco, ex
 quo compositum descendit à *μόνος* solus & *ἄρχω* impe-
 ro, *μόναρχος*, *μονάρχης* vel *μειναρχος* qui solus im-
 perat,